



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiæ, 1605

Excerpta Ex Annis Indiæ Orientalis, Anno M. D. XCV. A P. Prouinciali ad R.
P. Claudium Aquaiuam Generalem Societatis Jesv datis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

dicerent, illos non esse similes suis Mullas, aliisque religiosis, quæ non inhiant, nisi nummis. Et quia illi Patres videbant ob mutationem fidei excitatos tumultus, & inclinare homines ad defectionem, dixerunt Regi, quod ad ipsos attineret, magna felicitas & lucri loco se habituros, si contingerit eos occumbere pro Iesu Christi. Quod Patrum dictum in præsentia Dominorum & Ducum belli, qui circumstabant, quodam die vehementer collaudavit. Iam verò cum nunc ad nouam huius regis instantiam (vntatio dictum est) eò profecti sint duo alii Patres, anno 1594, multis que impedimenta sublata sint, eo que deductus Rex, vt vna tantum conjugē vtatur, ac desideret tandem familiariter & commode fidei nostræ veritate suaque salute agere, vehementer exoptat, vt linguam eius regionis addiscant, & pulchram ecclesiam post disiecta Moschea, fabricari faciant; ac denique generalem potestatem dederit Patribus baptizandi, & Christo adiungendi omnes quotquot voluerint. Hæc inquam omnia, totiusque huius missionis Status, quia melius intelligi poterint ex ipsis litteris, circo cas his subiungam.

EXCERPTA EX ANNVIS INDIAE ORIEN- TALIS, ANNO M. D. XCV.

A P. Prouinciali ad R. P. Claudium Aquaniam Generalem Societatis Jesu datis.



CHEBAR, quem vulgò vocant Magnum Mogor, anno superiore per Legatum suum, iam tertio, que magnopere, missionem aliquorum Patrum postulauit. Ac mox Prorex P. Prouincialem morem in modum rogauit, vt voluntati eius annu-
ret. Et quoniam P. Prouincialis cognouerit, quod P. quantopere exoptaret Patres aliquos Societatis sedem suam habere in Vrbe Lahor & aula huius potentissimi Regis, respondisse acturum cum suis Patribus, & daturum responsum. *Conti-*

ergo de missione habito, conclusum est, esse suscipiendam, tum quod illa esset V.P. voluntas, & tanto studio missio exereretur, tum quod Dei mos sit res magnas prorogare in tempus sibi soli exploratum: fieri autem posse ut hoc sit tempus à Deo decretum, quo in opulentis illis regnis oculi sint aperiendi, omnisque ab infelicibus illis & excæcatis mortalibus cæcitas & infidelitas removenda. Cùm autem in deliberationem vocaretur, quis in hanc missionem ablegandus esset, fors tam felix cum multorum, ut ita dicam, invidia sancta incidit in P. Hieronymum Sciaurier, qui tunc erat Goanæ domus Præpositus, quam sortem, aiebat, in se casuram, iam multo antè intimo quodam animi sensu ominatum fuisse. Ut conditionem acceptavit, adiuncti illi sunt comites duo, P. Emmanuel Pinnerus, & Benedictus de Gois frater; confectisque ornamentis pro Ecclesia, & instrumento ad sacra celebranda necessario, aliisque rebus collectis, in viam se dederunt duce illo Armeno, qui primos Patres, ut P. Rodolphum Aquaviuam cum sociis, eò perduxerat. Abnavigarunt hinc vecti vna triremi versus Daman, & inde Cambaiam, vbi Dominus Deus noster cepit illis dare præsidium ingentis fructus consecuturi, tantaque consolatione affecti, ut iam videretur facto ipso labores missionis compensare. Et quia aliquot dies substiterunt Cambaiæ, in domum quandam artem suam transtulerunt, ibique collecti, quasi in Ecclesia, confessiones audierunt, & Sacramenta administrarunt Lusitanis, aliisque Christianis illic commorantibus. Sed fructus, qui hac nostra mora hic factus est, principiaque & argumenta messis in posterum faciendæ, accuratius intelligentur ex aliquibus capitibus litterarum à Patribus ipsis hinc transmissis, iam subjiciendis.

(.)

YY 2

EXCER